

haec verba: *Hic ille uerus sol.* Cum Codex hic olim *Limpurgensis Cenobij* fuerit, ut *fol. ult. p. 2.* notatur, fortassis Sermo noster autorem habet *Rupertum Abbatem*, de quo *Trithemius C. 365.* et nos ad *Cod. DCCL.* meminimus.

III. a *Fol. 156.* sequitur *Anonymi*, qui et *Gregorium M.* citat, *Tractatus de Phrasi et Allegoriis S. Scripturae*, adeoque in duas Partes factus, quarum secunda margini voces, quas exponit, juxta Alphabeti seriem minio adscriptas habet. Orditur vero: *Expositio sacre scripturae fit per significationem uocis. uel significationem rei. Per significationem uocis principalem. uel secundariam &c.* Et finit: *Moses in fiscella. nucleus in testa. thesaurus in terra.* Multum ei cum *Formulis Spiritualibus Eucherio Lugd.* adtributis *Bibl. PP. Lugd. T. VI.* et *Isidori Hispal. Etymol. Libro VI.* et *VII.* convenireprehendes.

IV. a *Fol. 169.* usque ad finem habentur sine Autoris nomine *Petri Lombardi Ep. Parisini Sententiarum Liber II.* et *III.* sed hic non integer. Defectus *Libri I.* statim sub principium ita rubro indicatur: *Hic deest primus de trinitate liber.* Calamus recentior adjecit *sententiarum. Liber II.* in fit ab hac rubrica: *Vnum esse rerum principium ostenditur non plura. ut quidam putauerunt. Continuatio prioris libri ad sequens.* Deest huic *Libro* *Distinctionum Elenchus;* non vero *Libro III.*

qui praeterea *Praeloquio* gaudet, quod incipit: *Sic enim rationis ordo postulat &c.* et finit: *gratia ad miserum accedat.* Praeloquium istud abest ab antiquissima *Lombardi* editione *f. l. et a. in fol.* cuius gemino exemplari in Bibliotheca nostra manu praenotatus est annus 1471. In ora tamen inferiori unius horum exemplarium manu subpletum est. Abest pariter ab edit. *Colon. 1567. 8.* Invenitur tamen jam in edit. *Basil. per Nic. Kesler 1487. f.* Ceterum Codex noster tantum pertingit ad *Distinct. XXIX.* Verba haec: *Multorum caritas inordinata est.*

Ad illum compingendum adhibita sunt Folia *IV.* *Antiphonarii* *Sec. XIV.* quae Antiphonas de *SS. Nicolao* et *Paulo* modulismusicis inclusas exhibent.

CLXXXVII. VI F. 18

Codex membraneus lat. *Sec. 402* *XII.* Folior. 143. 4. bene exaratus, rubricisque distinctus, atramento tamen in variis paginis admodum pallente hoc praefert Rubrum: *Incipit Liber leuitici cum omeliis Suis Numero XVI. Originis. Originem* praeter *Excerpta*, quae commemorat *Hieronymus* apud *Rufin. L. II. Invect.* etiam *Homilias* in *Leuiticum* saltem *dictasse*, testis est earum interpretres latinus *Rufinus* in *Perrat.* quam *Versioni* suae *Explanationis* pariter *Origenianae super Epist. Pauli ad Rom.* subiecit: *In his, quae in Librum Levitici ab*

ab illo quidem perorandi stilo dicta (al. dictata) a nobis vero explanandi specie translata sunt. Quae quidem Rufini verba dubium reddunt Lectorem, fidumne ille interpretem egerit, an pro arbitrio sua miscuerit, quod dubium, cum Graeca Origenis interciderint, tolli nequit. Harum porro Homiliarum jam Cassiodori aevo XVI. numerabantur, ut ex C. 1. Traët. ejus de institut. divinar. Litterar. liquet. Prima nobis infit: Sicut in novissimis diebus Verbum Dei ex Maria carne uestitum processit in hunc mundum &c. Reliquae jam Libri, jam Homiliae inscribuntur. Textus, utut a secunda, quin tertia manu interpunctus et correctus fit, ulterioris tamen emendationis capax est, ut e collatione cum Editis T. II. Opp. Origenis Paris. 1733. p. 184. f. cognovimus. Sub Hom. I. principium locus integer ab verbis, ad sacrificandum vitulos et agnos, usque ad verba: Sed melius est me nullo gesto incidere in manus uestras, calamo Sec. XVI. subpletus est. Ultima finit: et suum nobis suave iugum fidei et caritatis et spei ac totius sanctitatis imposuit. Ipsi gloria in eterna secula seculorum. Amen. Tum literis graecis, latinisque mixtis: ΗΓΩ ΦΡΑΘΗΡ ΛΗΩ ΑΘΡΑΜΗΝ-ΘΑΧΙ VNC ΑΤΒΡΧΜ. ΗΘ CΩΜΡΑΗΧΥ VCQXH ΑΔ ΦΥ-ΝΗΜ. ΔΗΡΡΗCΩΡ ΧΩC VΘ ΩΡΗΘΥC ΡΡΩ ΜΗ ΑΔ ΔΩ-ΜΥΝΧΜ. ΑΜΗΝ. ΔΗΩ ΓΡΑ-ΘΥΑC. Quae lego: Ego Frater

Leo atramentavi hunc librum et complevi usque ad finem. Deprecor vos ut oretis pro me ad Dominum. Amen. Deo Gratias. Vides literam H ubique sonum E reddere, Θ semper pro T poni, Υ non raro pro I. singularem esse formam X pro V. C jam ut Σ jam ut K pronuntiandum, P jam Rho, jam Pi valere, Latinas esse V. et Q. Nescio, quid ignotum hunc Leonem ad ostentandam suam Καλλιγραφίαν graecam moverit. Monet illa Inscriptionis sepulchralis M. Gordiani, quae habetur Romae subterran. L. III. c. 22. et Numerorum graec. Sec. IX. et X. quorum ἐπιγραφὰς exhibet Montefalconius Palaeograph. Gr. L. II. sub finem c. 7. Pag. ult. adscriptae sunt Orationes quaedam ad Deum, ut per intercessionem S. Blasii Spinae aut Ossa Gutturri infixae revellantur. Origenis Homiliae jam etiam Cod. praeced. indicantur.

CLXXXVIII.

Codex membraneus lat. Sec. 408 XII. Folior. 67. 4. caractere minutiore perquam nitide exaratus, rubricisque decoratus frequentia complectitur: I. Homilias III. Origenis a Rufino Aquilej. latine versas, quarum prima inscripta est minio: Omelia XX. II. origenis de filiabus salphaat et de successore moysi. Initium: Quinque filie fuerunt. quarum etiam nomina in scriptura comprehensa sunt &c. Addi debebat titulo: M m 2 In